

est condecoratus, ita etiam ordinatio non est permittenda ei qui ipse non est ordinatus.

§. 17. Solent etiam literæ confirmationis tradi ordinato tanquam testimonium ab ordinatoribus subscriptum.

§. 18. Denique sequi etiam debet investitura Pastoris ordinati, quæ, licet non sit de substantia ministerii, tamen omitti non debet. Est enim investitura actus ecclesiasticus solennis, quo persona ad ministerium Ecclesiasticum legitime vocata & ordinata cœtui, cui præficienda est, per Superintendentem sistitur, in cœtum suum ecclesiasticum instituitur, & in actuale officii sui possessionem deducitur, & quidem palam ac publice, ut omnis suspicio evitetur.

§. 19. Per hanc investituram inter auditores & Pastorem vinculum quasi contrahitur, instar Conjugii, unde moneatur Ecclesiæ minister, ut amore cœtum suum ecclesiasticum prosequatur, fideliter ei adhæreat, nec facile & sine causa eum deserat.

§. 20. Non quidem pertinet actus investituræ ad Ministerii substantiam, tamen, ut dictum, non est omittendus, propter solennitatem, qua confirmationes publice præleguntur, novus Pastor Ecclesiæ sistitur, in eam introducitur, & tum ad Pastorem novum, tum ad auditores graves fiunt admonitiones, quibus tum ille, tum hi officii sui admonentur, & seriis precibus officium novi Pastoris Deo commendatur.

§. 21. Etsi autem investitura spectat ad jus Episcopale & per Superintendentem exercetur, tamen requiri ad eam debet & Patronus, Magistratus & Parochiani: Requirit hoc meritum Patroni erga Ecclesiam & Parochianorum reverentia.

§. 22. Sicut autem ad investituram aliqui sumtus requiruntur; ita illi suppeditari debent ex ærario ecclesiastico, non vero à novo Pastore; investitura enim Ecclesiæ gratia institui-